

TRANSLATIO CORPORIS S. ODILONIS

A Rogerio Bituricensi archiepiscopo facta anno 1345.

(Bibliotheca Cluniacensis, p. 345. ex chartulario Silviniacensi.)

ROGERIUS, permissione divina Bituricensis archiepiscopus, universis Christi fidelibus salutem in Domino sempiternam.

Noveritis quod de licentia et mandato sanctissimi in Christo Patris domini nostri, domini Clementis, digna Dei providentia papæ sexti, nos una cum reverendis in Christo Patribus domnis Capitulien. Augustinorum, et Saulonien. Prædicatorum ordinis episcopis et quamplurimis abbatibus, prælatis et personis ecclesiasticis ad hæc vocatis, et insimul in ecclesia Silviniacensi Cluniacensis ordinis Claromontensis diocesis, congregatis, venerabile corpus almi confessoris B. Odilonis de loco in quo hæcenus ibidem tumulatum exstitit solemniter relevavimus, juxta sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ traditam nobis formam, ordinationem atque modum, ac ipsius S. confessoris caput et alia corporis membra vidimus, et propriis manibus tetigimus, tenuimus et palpavimus, et eadem in capsâ posuimus et recondidimus honorifice et decenter. Nos enim, pensatis hujusmodi sancti confessoris meritis, quæ nos ad sui revelationem adduxerunt devote et attraxerunt, cupientes totis viribus incrementum laudis et honoris ejusdem exercere, ut a Christi fidelibus congruis honoribus et laudibus decoretur, et etiam ve-

neretur, necnon ut ecclesia memorato eo libentius causa devotionis ab ipsis Christi fidelibus visitetur ac etiam frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum, et beati Stephani protomartyris patroni nostri, ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in ejusdem almi confessoris festivitibus, et specialiter in die revelationis ejusdem, et per ipsius octavas, ipsam ecclesiam annis singulis visitaverint, quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis futuris et perpetuis temporibus duraturis, misericorditer in Domino relaxamus. Præterea volumus et concedimus de speciali gratia quod quilibet prædicator qui in ecclesia præfata populo ibidem existenti verba divina prædicabit, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in prædicatione ejusmodi præsentibus exstiterint, ex parte et auctoritate nostra viginti dies de indulgentia concedere valeat et conferre, quando et quotiescunque prædicationis officium contigerit exercere. In quorum omnium testimonium præsentibus litteras fecimus munimine nostri sigilli roborari. Datum apud Tolon. Claromontensis diocesis, nostram provinciam visitantes, die 21 Junii, anno Domini 1345. *Signatum*: Guillelmus Viacenti.

ANNO DOMINI MXLVIII

BERNO

ABBAS AUGIÆ DIVITIS

NOTITIA HISTORICA

(Ex Joannis Egonis libro De viris illustribus Augiæ Divitis, apud Bernardum Pezium, Theaur. I, III, 587.)

Bernonem, quem alii Bernardum malunt vocare, ex monacho Prumiensi a S. Henrico imperatore Augiensi cœnobio præfectum, præstantissimis Augiæ doctoribus jure comparandum, aut etiam plerisque præferendum existimo. Inter poetas enim sui ævi fuit excellens. Rhetor facundus, philosophus præ-

stans, musicesque adeo peritus, ut doctissimis illam commentariis illustrarit; litteris etiam in sacris ita nobiliter instructus, ut omnes in non exigua sui admirationem rapuerit. Composuit plurimos tractatus, de quibus auctores qui de scriptoribus ecclesiasticis libros edidere, ut Trithemius, Bellarminus, Ar-